

rūm, quos Semiarianos appellavimus, fidē, tum de ipsius Semiarianismi notione:

*Meletii enim, Antiocheni et Basilii Ancyranī Orthodoxiam ATHANAS. in ep. Encycl. cont. Arian. et de Synod. n. 41. Silvanī Tarsensis THEODORET. L. 2. hist. c. 27., Eleusii Cyziceni HILAR. L. de Syn. n. 63. adstruunt: Semiarianos autem cum Macedonianis confundere videntur PATRES Concilii Generalis secundi et PHILASTRIUS; quorum illi Can. 1. (Labb. t. 2. p. 945.) dicunt: Oportet anathematizari omnem hæresin, et specialiter Eunomianorum sive Anomæorum, et Arianorum sive Eudoxianorum, et Semiarianorum sive Spiritus sancti adversariorum: hic vero Hæres. 67. inquit: Semiariani... de Patre et Filio bene sentiunt, unam... divinitatem esse credentes; Spiritum autem non de divina substantia, nec Deum verum, sed factum atque creatum spiritum prædicantes. E contrario EPIPHANUS Hæres. 73. et HIER. in Chron. Meletium, Basilium et alios heterodoxiæ arguunt: præterea Semiarianos distingui a Macedonianis, et eorum errorem versari circa Filii divinitatem, docent Sulp. SEVERUS, L. 2. hist. EPIPH. l. c. et AUGUSTIN. etiam L. de hæres. n. 51. Semiarianos, inquit, qui similis essentiæ dicunt Filium, dicit tanquam non plenos Arianos, quasi Ariani nec similem velint, cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.*

Hac in discordia utrique parti aliquid concedendum videtur. Itaque Meletium, Basilium, Silvanum et Eleusium pluresque, alias Semiarianos dictos, reipsa fuisse orthodoxos admittimus; quoniam vero et Eusebianis conjuncti fuerant, et reformandis fidei formulis satagebant, et a voce *ὁμοούσιος* pertinacius abhorruerant, non sine fundamento mitigati Arianismi suspicionem incurrebant, adeo ut Semiarianorum duces communius haberentur. Semiarianos reliquos in dogmate successu temporis variasse putamus, ita quidem, ut post Constantii Julianique fata, dum ex omni Oriente et Occidente ad Jovianum mitterentur synodicae litteræ cum Nicæna formula *consubstantialis* vocem professæ et prædicari exprimique jubentes, Semiariani e suis velut recessibus expulsi et errorem nullo jam verborum artificio dissimulare valentes eundem vel sincere deposuerint, vel maligno silentio contexerint, ex altero de Spiritus sancti divinitate dogmate, necdum adeo illustrato et delimito, subsidium suis partibus allaturi. Unde si Sulp. SEVERUS, EPIPHANIUM, et AUGUSTINUM de *Semiarianis* ante illam conversionem, PATRES CONSTANTINOPOLITANOS et PHILASTRIUM de iisdem post eam intellexeris, neutra ex parte, quod aliqui faciunt, contra debitam illis auctoribus fidem ac reverentiam peccabis.

## CAPUT IV.

## DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

Veritatem hanc sive existentiam nec *Gentili* immediate probari, nec *Judæo* clare ostendi posse, ex iis, quæ sub cap. prioris initium diximus, colligitur. Cum enim mysterium hoc rationem naturalem superet, ac in Veteri Testamento non expresse omnino ac distincte penitus enuntietur; et qui revelationem parum veneratur, gentilis, et qui antiquas tantum tabulas respicit, Judæus, pia destitutus affectione vix unquam captivabit intellectum in obsequium fidei de tanto arcano. Non omnis tamen methodus deest, qua uterque ad divulgatam adeo et necessariam nunc veritatem perducatur. Nam si ostendatur alteri, fidem Christianam esse evidenter credibilem et credendam, alteri Messiam a Deo promissum verum esse Deum jamque advenisse; ex fide illa ac doctrina Christi ambo deinceps haurient haud difficulter præsentis veritatis documenta. Quoniam vero geminum illud caput ex *Tractatibus aliis* crui et confirmari oportet; utrumque vel tanquam postulatum hic interim admittendum est, ut contra illos Trinitatis hostes argumentis proxime proferendis pugnetur; vel eo non impetrato, contra hæreticos duntaxat firmabitur dogma controversum, satisque erit difficultatibus obmovendis respondisse. Dabit autem disputationis universæ materiam Personarum TRINITAS, DIVINITAS, et CONSUBSTANTIALITAS.

## ARTICULUS I.

## AN IN DIVINIS SINT TRES PERSONÆ?

337. *Nota.* In dogmate præsentī non minus ac in sequentibus stabiliendis tria nobis cavenda duximus. 1º. ne repetantur dicta; unde argumenta, quæ tum ex V. T. tum ex Traditione Patrum Antenicænorū jam prolata fuerunt, non recitabuntur iterum: 2º. ne occupentur dicenda; hinc nec accuratiorē Personæ in divinis notionem persequemur, ejus nomine rem per se subsistentem accipere contenti, nec Verbi et Filii differentiam attendemus, promiscue utrumque usurpaturi: 3º. ne omittantur exprimenda; quare cum Antitrinitariorum hac ex parte error numerum, distinctionem et proprietatem personarum neget, distinctis contra eum assertis veritatem probatum imus.

338. *Dico I.* Dantur in Divinis Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sancti.

*Prob.* Matth. 28. 19. dicit Christus: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* 1. Joan. 5. 7.

Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus. Joan. 14. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit etc. Ibid. 15. 26. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. In historia etiam baptismatis Christi, Matth. 3. Marc. 1. et Luc. 3. relata, Patris vox hæc est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* ; additurque in narratione : *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, etc.*

*Conf. 1.* In symbolo Apostolorum dicitur : *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem..... et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum... Credo in Spiritum sanctum.* Eadem dicit symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, ac forma etiam Baptismi exprimit, nec minus solemnem glorificatio, cujus triplicem formulam supra ex Basilio retulimus.

*Conf. 2.* EX PATRIBUS ANTENICÆNIS, quorum nullum supra retulimus qui non trium harum Personarum mentionem fecerit; item ex triplici Hæreticorum classe recitata, quarum damnatio a Patribus et Conciliis Catholicis pronuntiata e contrario Trinitatem hanc in Divinis profitetur.

339. *Dico II.* Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis a se invicem distinguuntur.

*Prob.* Qui faciunt numerum, dispescuntur nomine ac proprietate, et relative sibi opponuntur, distinguuntur a se invicem : sed ex laudatis num. pr. textibus hæc omnia conveniunt in Divinis Patri, Filio et Spiritui sancto; ergo.

*Conf. 1.* Ubi est testium dualitas, vera cum alio societas, processio unius ab altero, paternitas et filiatio utrinque vera; ibi non attributorum tantum vel officiorum aut effectuum est distinctio, sed saltem personarum : sed in divinis Patris ac Filii imprimis velut testium habetur dualitas, Joan. 8. 17. et 18. Societas eorundem multipliciter exprimitur, tum ibid. v. 16. et 18., tum 14. 23... 1. 1. et 18. Ad hæc processio Verbi a Deo notatur, Eccl. 24. 5. Joan. 8. 42. item 16. 27. et 28. Demum vera Patrem inter et Filium relatio emicat ex Joan. 5. 17. et seqq. Ibid. 1. 14... 17. 5. ad Hebr. 5. 5. et Psal. 109. 3.

*Conf. 2.* Qui Patri et Filio sociatur in operatione et adjungitur, alius ab iisdem declaratur, procedit ab iis ac mittitur; vere etiam ab istis distingui intelligitur : sed hæc omnia deprehenduntur in Spiritu sancto. Nam 1°. Isa. 48. 16. dicitur : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus* : et 2. ad Cor. 13. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* : 2°. Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*; et ibid. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos* : 3°. ad Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Joan. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* : his adde v. 26. ex Joan. 14. et 15. num. pr. recitatum; ergo.

340. *Dico III.* Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis sunt res subsistentes.

*Prob.* Loqui, testimonium dicere, mittere vel mitti, assumere aliam formam, invocari, vel fide ac professione honorari tanquam auctorem dogmatis et legislatorem, sunt actiones aut passionis, quæ non nisi rebus subsistentibus seu personis sunt propriæ : sed hujusmodi in citatis textibus tribuuntur Patri, Filio et Spiritui sancto in Divinis; ergo.

*Conf. 1.* Quibus conveniunt attributa et opera substantiæ intellectualis, res subsistentes eo securius sunt dicendæ, quo specialius substantiæ intellectuales subsistunt et magis proprie dicuntur personæ : sed rebus nominatis (præterquam quod ipsa Patris, Filii et Paracliti nomina id satis evincunt) hujusmodi attributa et opera conveniunt, qualia sunt vivere, intelligere, libere velle et varia per seipsum agere. Et quidem quod vitam attinet, constat de PATRE ex Joan. 5. 26. et 6. 58. de FILIO ex Joan. 1. 4. et 5. 26. de SPIRITU SANCTO ex ep. ad Rom. 8. 2. et 2. ad Cor. 3. 3. Quantum ad intellectum liquet de PATRE ex Matth. 11. 27. et 1. Petr. 1. 2. de FILIO ex Joan. 1. 18. et ad Coloss. 2. 3. de SPIRITU SANCTO Act. 15. 28. et 1. ad Cor. 2. 10. et seq. Quoad voluntatem elucet de PATRE ex Matth. 11. 26. et Luc. 22. 29. de FILIO ex Isa. 53. 7., Joan. 10. 18. et Luc. 10. 22. de SPIRITU SANCTO ex Joan. 3. 8. et 1. ad Cor. 12. 11. Inter operationes exempli gratia præcipuum, scilicet Incarnationis, opus demonstratur de PATRE ex Joan. 3. 16. de FILIO ex Joan. 1. 14. de SPIRITU SANCTO ex Luc. 1. 35. Ergo.

*Conf. 2.* Si Pater, Verbum et Spiritus sanctus non forent res subsistentes, ergo vel quia hi tres duntaxat tanquam partes qualescumque constituerent eandem naturam : vel quia PATRIS appellatio est tantum impropria, cum nec substantiæ nec energiæ et effectiois nomen esse queat, ut apud GREG. NAZ. OR. 29. n. 16. Eunomius contendit; VERBUM autem est tantum prolaticum, et SPIRITUS SANCTUS merum charisma est seu donum et effectus : sed neutrum dici potest. Non primum, quia natura divina est simplex et perfectissima, adeoque eam ex partibus queiscumque componi, quod imperfectionem magnam involvit, etiam rationi naturali repugnat. Non secundum, quia, quod PATREM attinet, propria omnino hæc est appellatio, cum relationis sit nomen, licet substantiæ aut energiæ esse negetur; quod ipsum Eunomianæ objectioni NAZIANZENSIS respondet : Porro VERBUM non esse externum, prolaticum et accidentale in Divinis; sed internum subsistens ac substantiale, inter alios ATHANAS. OR. 4. cont. Arian. n. 1. probat : Denique SPIRITUM SANCTUM non esse merum charisma, satis demonstrat Paulus 1. ad Cor. 12. ubi enumeratis gratiis et charismatis variis, hæc omnia a Spiritu sancto pro suo libero arbitrio dividi docet : quin et Patres ex ipsa doni appellatione Spiritu sancto propria, ejus divinitatem ostendunt; cum teste AUG. L. de Fid. et Symb. c. 9. n. 19. *Spiritum sanctum donum Dei esse prædicant (Scripturæ), ut Deum credamus non seipso inferius donum dare, et in Enchir. c. 37. Utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est æquale donanti.*

341. *Obj. I.* Si tres essent in divinitate Personæ, Deus foret trinus, non autem unus ac singularis, sed Deum unum ac singularem esse perhibetur Deuter. 6. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est*; et Isa. 45. 5.

*Ego Dominus, et non est amplius; extra me non est Deus: ego Dominus, non est alter; ergo. Conf. 1.* Ubi plures sunt personæ, idem nequit dici primus et novissimus: sed idem Deus utroque nomine compellatur, dum Isa. 44. 6. dicitur: *Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus; ergo. 2.* Soli Deo, quem Patrem appellamus, convenit omnia producere: sed hic unus est, ut rursus Isa. 44. 24. scribitur: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum; ergo. 3°.* Deus in V. T. appellatur Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob: sed hic Deus est una duntaxat Persona, neque Filius potest esse hic Deus, cum Actor. 3. 13. dicatur: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum; ergo.*

R. D. M. Deus foret trinus Personis C. trinus natura N. in textu allato excluditur pluralitas Deorum, et prædicatur singularitas naturæ, minime autem Personæ unitas ac solitudo.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. Similiter, distinguendo eundem quoad naturam, non vero quoad personam. Præterea laudatus textus ad Messiam principaliter pertinet, qui primus dicitur, quoniam secundum divinam naturam ante Luciferum est genitus; et novissimus, quod secundum humanam in plenitudine temporum sit natus, et die extremo orbem judicaturus.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. N. M. Quia et de Verbo Joan. 1. 3. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt; et Judith 16. 17. de Spiritu sancto: misisti Spiritum tuum, et creata sunt.* Quamvis itaque per appropriationem tribuatur creatio Patri, tamen et aliis Personis ea est communis; et quia trium Personarum una est omnipotentia ac divinitas, recte dicitur unus solus Deus produxisse universa.

Ad Conf. 3<sup>am</sup>. R. N. M. Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob dicitur glorificasse Filium suum indutum carne; unde *Jesu* nomen incarnato Deo proprium additur: non autem in ea divina ac sempiterna substantia, quam Filius ipse habet cum Patre communem. Quin nec trina nominis Divini repetitio caret mysterio, ut plures Rabbini apud Galatin. L. 2. c. 1. fatentur.

Inst. 1. Verbum humanum tum internum tum externum non est persona, sed accidens duntaxat et entitate distinctum a loquente; ergo idem sentendum est de Verbo divino, præsertim quia hoc a Patribus passim utrique illi comparatur.

R. N. Cons. Verbum divinum et creatum conveniunt quidem in multis; nempe, quod omne verbum sit imago mentis et similitudo rei cognitæ, citra perpeccionem oriatur a mente, et referatur, seu habitudinem habeat ad dicentem; atque in his comparatio a Patribus instituta versatur: sed in pluribus discrepant, atque discrepare etiam a Patribus dicuntur. Eorum primum est, quod scientia, ex qua verbum oritur, in Divinis sit ipsa substantia et essentia dicentis, in creatis adventitia qualitas apud Aug. L. 13. de Trin. c. 13., et ANSELM. in Monol. c. 11.: secundum, quod divinum per se existat, vitam et rationem habeat; creatum vero sit accidens, nec naturales illas prærogativas, nisi objective tantum et secundum intentionem, minime autem formaliter contineat, apud ATHAN. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. 2. et GREG. NYSSEN. Orat. catechet. c. 1. (opp. t. 3.) et plerosque alios: tertium, quod divinum sit æternum et immutabile; creatum sit temporarium, et identidem oriatur ac pereat, apud Aug. L. 13. de Trin. c. 16., ANSEL. in

Monol. c. 30. BERN. Serm. de divers. 5. n. 1.: quartum, quod illud unicum sit, nostra autem multa, apud ATHAN. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. et L. de Decr. Nic. n. 16.: quintum, quod divinum perpetuo, nostrum semel gignatur, HUG. VICTOR. in sum. sententiarum, Tract. 1. c. 7. V. PETAVIUM de Trin. L. 6. c. 2.

Inst. 2. Verbum in Divinis est prolatitium; tum quia vox λόγος in emendata ab Erasmo aliisque editione latina vertitur Sermo, ut Joan. 1. In principio erat Sermo etc. Sermo autem est oratio composita et prolata exterius: tum quia Patres Verbum divinum frequentius exponunt comparando cum externo verbo: tum quia TERTULLIANUS L. cont. Prax. c. 5. et seqq., et LACTANTIUS L. 4. Instit. c. 8. aperte docent, Filium esse Verbum prolatitium seu exterius prolatum.

R. N. A. Ad ejus prob. 1<sup>am</sup>. R. Quamvis vox λόγος tam externum quam internum verbum significet, et Patres etiam Latini per sermonem exposuerint, tamen secundum Ammonium in Comment. ad L. Arist. de interpret. proprie magis cogitationem mentis seu verbum internum significat, et in hoc a λέξις distinguitur. Præterea licet Patres Latini Sermonis dictionem usurpent, iidem tamen, ac præcipue TERTULLIANUS cum LACTANTIO; Verbi vocabulum frequenter adhibent: alii vero post exortam et convictam Arii hæresin rarissime Filium Dei vocant Sermonem, aut apud Joannem legunt. Unde cum posterioribus seculis sola Verbi usurpatio in Ecclesia invaluerit, ab Erasmo temere omnino ac inepte facta illa versio apparet, ideoque nihil admodum probat. V. PETAVIUM de Trin. L. 6. c. 1. n. 4. seqq.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. Hæreticos utroque vocabulo insititii ac prolatitii Verbi fuisse abusos, ut BASIL. hom. 24. n. 1. contra Sabel., et CYRILL. ALEX. L. 1. in Joan. (opp. t. 4. p. 30.) testantur; ad quos oppugnandos pro diversitate hostium diversam Patres comparisonem urgebant. Paritati itaque cum verbo prolatitio insistebant maxime, dum contra Sabellianos agerent, de quibus BASIL. I. cit. sic scribit: *Cum Verbum consistentur, ipsum comparant cum eo quod in mente concipitur verbo, cumque Sapientiam dicunt, consimilem dicunt esse habitui qui in anima manet eruditorum. Et ideo unam personam Patris et Filii profitentur, quod homo quoque unus dicitur non divisus, ob verbum quod in ipso est et ob sapientiam.* Præterea vero hæc comparatio aliis familiarior fuit, tum quia verbum externum erat notius quam internum, ut ORIG. tom. 1. in Joan. n. 23. (opp. t. 4. part. 1<sup>a</sup>. p. 26.) advertit: tum quia aptius erat ad exprimendam Verbi divini proprietatem, qua Pater per Verbum sic tanquam per interpretem et vim enuntiatricem cognosci ab eodem ORIGENE I. supr. cit. n. 42. (p. 43. B.) et S. AUG. L. de Fid. et Symb. c. 3. et aliis dicebatur. V. PETAVIUM ib. c. 3. n. 1—3.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. TERTULLIANUM facile vindicari posse, si ad ea, quæ num. 213. dicta sunt, attendatur; cum de Verbi generatione externa et visibili sit intelligendus. Auctoritatem autem LACTANTI, alias etiam minus accurati, hic non admodum curamus, siquidem aliquo ex præmissis modo emolliri nequeat.

Inst. 3. In Scriptura de pluribus Dei verbis mentio fit; a Patribus autem, maxime IREN. L. 2. cont. hæc. c. 48. (al. 28. n. 5.) AMBR. L. de Filii Divinit. (al. de Fide Orthod.) c. 5., et MAR. VICTORIN. L. 3. cont. Arium n. 8. 10. et 41. ipse Pater in Divinis vocatur Verbum; ergo Verbum in Divinis vel non est persona, vel non est distinctum a Patre.

R. N. *Cons.* Verba plura, de quibus Scriptura meminit, nihil aliud sunt, quam effectus ab omnipotentia divina producti; atque hinc eorum locutio est externa quaedam significatio per creaturam edita, et ut a nobis capi possit, sub verborum figura et imagine proponitur: VERBUM autem DIVINUM, de quo agimus, unicum est Filius Dei, ejusque locutio est generatio, ut infra uberius declarabitur; unde prior sequela nulla est. Ad alteram dissolvendam observare duntaxat oportet multiplicem τὸν λόγου significationem, de qua Hieronymus in epist. 103. (al. 53. n. 4.) ad Paulin. inquit: *λόγος enim græce multa significat. Nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei.* Itaque λόγος, quatenus ratio est, Patri, imo et tribus Personis congruit; ut vero est intellectionis terminus seu verbum mentis, in solam secundam Personam cadit. De hac postrema et propria acceptione Aug. L. 6. de Trin. c. 2. ait: *Hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt: sicut Verbum de Verbo dici non potest; quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius.* V. PETAVIUM I. cit.

342. *Obj. II.* Plura in Scripturis tribuuntur S. SPIRITUI, quæ rationem Personæ detrahunt; nam 1<sup>o</sup>. Luc. 11. 20. dicitur DIGITUS Dei, Act. 2. 38. DONUM, et 2. ad Cor. 1. 22. PIGNUS VEL ARRHABO: — 2<sup>o</sup>. Joan. 7. 39. NONDUM FUISSE, ad Tit. 3. 6. in homines EFFUNDI, et 1. ad Thess. 5. 19. a nobis EXTINCUI: — 3<sup>o</sup>. memoratur ad Hebr. 6. 4. PARTICIPATIO Spiritus sancti, ad Rom. 8. 23. PRIMITIE ejusdem Spiritus, et 1. ad Cor. 12. 13. POTATIO in Spiritu; ergo.

R. N. A. Partim quia quæ de donis Spiritus sancti proprie dicuntur, hic Spiritui sancto adaptantur; partim quia quæ donis conveniunt, personæ non repugnant; ut patebit ex responsionibus ad singula.

Quoad 1<sup>am</sup>. Spiritus sanctus recte dicitur DIGITUS Dei; quia hic in Exod. 8. 19. summam Dei potestatem ac virtutem significat, quæ ab ejus substantia et natura non distinguitur: unde si Spiritus sanctus est digitus Dei, et Deus est. DONUM datur non *accidentale* tantum, sed *personale*, ut in Filio Dei ex Joan. 3. 16. et in Levitis ex Numer. 8. 19. ostenditur: et Spiritus quidem sanctus aptissime donum personale appellatur, eo quod sit Patris et Filii amor mutuus, hic autem et donum et causa donorum. Præterquam quod legatur *pignus spiritus*, non vero *pignus spirituum*, datur et pignus personale, quod in obsidibus cernimus; et arrhabo, secundum Aug. Serm. 13. (al. 156. c. 15. n. 16.) de verb. Apostoli, aliquid ultra pignus exprimit, et ad ipsam rem, quæ promittitur, spectat; ex quo capite, si Spiritus sanctus sit arrhabo vitæ æternæ, quæ stat in visione Dei nobis promissa, illum esse Deum ostenditur.

Quoad 2<sup>am</sup>. Græca quidem Joannis lectio verbum substantivum sine prædicato habet; sed a vulgata recte dici: *Nondum erat Spiritus datus*, patet ex eo, quod præmittatur: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes*: ad quam relationem inter *accipere* et *dare* etiam in Græco attendendum est. Effusio Spiritus sancti sumitur metonymice pro muneribus ejus effusis, quemadmodum hoc Act. 10. 45. exprimitur his verbis: *Gratia Spiritus sancti effusa est.* Idem tropus elucet in textu ad Thessal., ubi maxime de Prophetiæ dono agitur; qui quidem aptissime adhibetur, cum dator donorum Spiritus sanctus in ignis forma descenderit.

Quoad 3<sup>am</sup>. Participatio et primitiæ Spiritus sancti si referantur ad effectum, nihil huic pertinent; si referantur ad personam, nihil obsunt; cum ad Hebr. 3. 14. *participes Christi effecti*, et 1. ad Cor. 13. 23. *primitiæ Christus* legantur, nec ullus inde negationem personæ inferat. Potatio in spiritu ad Eucharisticum calicem pertinet; neque magis destruit personam Spiritus sancti, quam Christi personam manducatio illius carnis.

*Inst.* Spiritus sanctus est spiritus Dei, sicut anima est spiritus hominis, ut ex 1. ad Cor. 2. 11. liquet: sed anima vel quicumque spiritus hominis non est persona distincta ab homine; ergo. *Conf.* Non minus 1. Reg. 18. 10. et 19. 9. dicitur spiritus Dei malus; ac alibi spiritus Dei appellatur bonus vel sanctus: sed spiritus ille malus, siquidem Dei esse dicitur, non est aliud, quam vis et efficacia Dei hominem tradens in reprobum sensum vel alia ratione affligens; ergo et spiritus Dei bonus sive sanctus, est tantum virtus et efficacia hominem sanctificans et replens bonis.

R. D. M. Spiritus sanctus est spiritus Dei, sicut anima est spiritus hominis, quatenus Spiritus sanctus non minus pertinet ad substantiam Dei, quam anima ad substantiam hominis C. quatenus Spiritus sanctus non habeat totam plenitudinem divinitatis, sicut humanitatem totam non habet anima N. HOMINIS substantia in animam et corpus distinguitur tanquam in partes; Dei autem substantia est impartibilis, quamvis Personæ inter se distinguantur.

*Ad Conf.* D. M. Non minus et eodem modo spiritus Dei dicitur malus, quam bonus et sanctus N. Diverso modo C. Spiritus sanctus dicitur spiritus Dei substantialiter et per identitatem; non ita spiritus malus, utpote cum Deus malus non detur, nec malum a Deo sit, nisi permittente: sed quia spiritus nequam et dæmon, qui ex Hebræorum, Patrum et omnium interpretum consensione in illis Libri Regum capitibus Saulem invasisse intelligitur, mancipium Dei est et justitiæ divinæ minister; ex quo præterea falsitas minoris emergit.

343. *Observe.* Equidem, quod Sociniani maxime contra nostras pro personalitate Spiritus sancti probationes urgent, sacræ Litteræ rebus variis tribuunt personarum operationes, quæ tamen personæ non sunt: sed hoc faciunt sive per *enallagen*, ut dum 1. ad Cor. 13. 4. et seqq. charitati attribuantur, quæ homini charitate instructo proprie conveniunt; sive per *prosopopœiam*, ut dum lex ad Rom. 3. 19. et sanguis ad Hebr. 12. 24. loqui perhibetur. Atque harum figurarum characteres habentur vel ex *subjecto*, si nempe illud sit res inanimata, vel actio tantum, vel intentionalis tantum aut moralis conceptus; vel ex *contextu*, siquidem in antecedentibus aut consequentibus non una simul exprimitur, quod tamen ad actionem personalem requiritur; vel ex *pronomine* non ad proximum aut expressum vocabulum, sed ad remotum vel subintellectum pertinente. Eorum characterum unus vel plures conveniunt Scripturæ textibus, quibus regnum Dei, mandatum, fides, ira etc. venire; auxilium, misericordia, veritas, vel redemptio mitti aut procedere; lex, sanguis, natura vel unctio loqui aut docere; malitia, conscientia vel lex arguere; virga et baculus consolari dicuntur: nullus e contra reperitur in textibus de Spiritu sancto, utpote cum ex Joan. 4. 24. Spiritus sit Deus; idem autem Spiritus, qui loqui, docere, testari dicitur:

etiam scrutari, cognoscere et audire legatur; ac præterea Joan. 15. 26. pronomen masculinum neutro generi adjunctum personam demonstret.

Præterea quamvis vox  $\piνεῦμα$  plures patiatur significationes, et æqualiter energiam ac rem subsistentem significet; quotiescumque tamen cum suo articulo ponitur, rem certam et singularem indigitat, eo quod articulus Græcorum ex horum grammatica sit nota singularitatis. Ex hoc sermonis usu Didymus L. 1. de Spiritu sancto observat in Scripturis Spiritum sanctum ut plurimum non dici simpliciter  $\piνεῦμα$ , sed  $\tauὸ πνεῦμα$  cum articulo; contrarium autem fieri, ubi de spiritu alio quam sancto est sermo. Excipiuntur quidem a communi hac regula juxta aliquos textus nonnulli, nempe Joan. 3. 5., 1. ad Cor. 12. 11. et Ep. Jud. v. 19.; sed in prioribus supplet contextus, et aperte inter auctorem regenerationis et charismatum ac inter ipsam regenerationem et charismata distinguitur; in postremo autem non persona Spiritus sancti, sed pium desiderium intelligitur. Quod verò  $\tauὸ πνεῦμα$  cum articulo interdum dona Spiritus sancti significet, ut ad Eph. 4. 23., 1. ad Thess. 5. 19. et 1. Joan. 4. 1. fit, figura est *metonymiæ*, qua pro effectibus persona effectrix ponitur.

## ARTICULUS II.

## AN QUELIBET IN DIVINIS PERSONA SIT VERUS DEUS?

344. *Nota.* Sicut sub Dei nomine intelligimus entis perfectissimi naturam, sic sub adjuncto VERI indicamus hujus naturæ realitatem, proprietatem ac plenitudinem; ut hinc a Divinitatis notione excludamus meram figuram, similitudinis duntaxat speciem, et imperfectionem qualemcumque ac diminutionem. Personarum autem divinarum appellatione indigitamus quidem Trinitatem, quin tamen ad notiones cujuslibet suppositi rationes ubique respiciamus. Quare Personam *primam* non tantum sub conceptu Paternitatis, sed sub ratione etiam Personæ improductæ et a se omnino existentis consideramus; in aliis quoque nec rationem Verbi præcise aut Filii, nec proprietatem Spirati spectamus: quamvis in probationibus, quæ de Verbo, Filio et Christo dicuntur, aut quæ de Spiritu sancto, Paraclito, Amore et Dono Dei habentur, fas sit referre ad Divinitatem *secundæ* aut *tertiæ* Personæ asserendam; cum eadem Persona illa sit in concretis prioribus, et ista sub posterioribus significetur. Neque tamen esse productum, quod utrique Personæ posteriori convenit, excludit a se rationem divinitatis. Cum enim esse divinum, utpote infinitum, sit communicabile omnibus, cum quibus oppositionem non habet; neque repugnet productum recipere eandem naturam, quæ est in producente; quas duas veritates, inferius probandas, hic interim supponere licet: facile intelligitur, et verum Deum posse esse productum; quia verus est Deus, quicumque naturam divinam realiter proprie ac plene obtinet, sive illam a se, sive ab alio communicatam habeat: itemque talem productionem nihil imperfectionis includere; quia natura divina, quæ omnem perfectionem includit, imperfectionis admittit nihil.

345. *Dico I.* Prima in Divinis Persona verus est Deus.

*Prob.* Prima in Divinis Persona dicitur et est Pater vel respectu Personæ in

divinis secundæ, vel respectu nostri, vel respectu non expresso: sed quocumque ex his modo profertur, in Scripturis sacris declaratur verus Deus; ergo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. min.* De Christo Joan. 5. 18. dicitur: *Sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*; ipse Christus ibid. 20. 17. ait: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*; Paulus 2. ad Cor. 11. 31. scribit: *Deus et Pater D. N. J. C. scit, quod non mentior*; et Petrus 1. Ep. 1. 3. *Benedictus Deus et Pater D. N. J. C. etc.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Paulus 1. ad Cor. 8. 6. inquit: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum*; ad Gal. 1. 4. *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri cui est gloria in secula seculorum.* Item in initio Epist. ad Rom., ad Cor., ad Thess., alibi quæpius: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, etc.*

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Christus Joan. 4. 22. et 23. ait: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate: nam et Pater tales querit, qui adorant eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*; ibid. 6. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus*; et Joan. 17. 3. *Patrem alloquens: ut cognoscant te solum Deum verum.* Confer quæ ad Ephes. 6. 25., 2. Pet. 1. 17. et alibi leguntur.

*Conf.* Pater in Divinis est vera persona, et est a se et improductus; ergo ratione *primi* debet subsistere in natura intellectuali, ratione *secundi* in natura improducta. Atqui natura intellectualis improducta non alia est, quam divina; ergo Pater subsistit in natura divina; ergo Pater est verus Deus. Unde nemo Hæreticorum, nec ullus etiam Infidelium, qui alias verum Deum agnoverunt, Patris personam sive illam quæ improducta est, in numero creaturarum posuit.

346. *Dico II.* Secunda in Divinis Persona est verus Deus.

*Prob.* Secunda in Divinis Persona triplici præsertim caractere ac nomine, scilicet Verbi, Filii, et Christi seu Messias designatur: sed sub quolibet horum caractere in Scripturis proponitur tanquam verus Deus; ergo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. min.* Joan. 1. 1. legitur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; ubi per *primum* sensum æternitas, per *secundum* personalis a Patre distinctio, per *tertium* essentia et Divinitas Verbi declaratur. Ep. 1. Joan. 1. 1. et 2. scribitur: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est: et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*; ubi per  $\tauὸ$  quod fuit ab initio, per  $\tauὸ$  quæ erat apud Patrem, et per *vilam* tum simpliciter tum *æternam*, tria illa dogmata rursus ac eodem ordine demonstrantur. Apoc. 19. 13. dicitur: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei*; de eo autem sic appellato legitur ibid. v. 11. *Vocabatur fidelis et verax*; v. 12. *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus Dominantium*: ex quibus nominibus *primum* est virtutis, *secundum* essentia ineffabilis, *tertium* potestatis ac dominii; quæ si priori quod Personæ est, jungantur, Verbum esse verum Deum ostendunt.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Joan. 1. 18. habetur: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* De eodem autem dicitur ibid. v. 14. quod sit *plenus*